



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

III. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DE EADEM RE.

Dialogus tertius.

A. QuA de re nunc inter vos agebatis?
B. De tempore quo hæc duo Eugenij & Leonis Concilia habita sunt. **A**. Quid igitur certi est? Dixisti enim heri Ivonem Carnotensem tempore Ludovici affirmasse habitam esse Eugenij synodum. Eum Ludovicum existimo Pium cognomento esse dictum, Caroli Magni filium. **B**. Ita est ut existimas. Namque sub Leone tertio Pontifice Maximo Carolus moritur. Leoni Stephanus, Stephano Paschalis, Paschali Eugenius hic suffectus est. Et in ipso Eugenij Concilio dicitur anno XIII. Ludovici Aug. Indict. I V. mense Novemb. haberi Concilium. Sed & Lotharij filij novi Imperatoris mentio fit. annus omisus est. Si numeros Panuini sequamur, Christianæ salutis annus est DCCCXXVI. pontificatus Eugenij minoris annus tertius. **A**. Ex Indictione videtur unus annus detrahendus. Leonis quarti synodus quo anno habita esse dicitur? **B**. Anno septimo Leonis, Lotharij verò & Ludovici Imperatorum anno quinto & tricesimo septimo, (quod ex alio loco sic intelligitur ut vox *quinto* referatur ad Ludovicum, cetera ad Lotharium) mense Decembri, Indictione secunda. Panuinius anno quarto Leonis, Lotharij verò anno XI. Chri-

sti DCCCL. synodum Romanam habitam esse scribit. A. Ex Indictione & anno septimo pontificatus apparet annum fuisse DCCCLIII. Lotharij decimum quintum. C. Estne Ludovicus ejusdem Lotharij filius qui eidem successisse dicitur, an Pius ille Lotharij pater? B. Apud Sigibertum invenio hunc Ludovicum Lotharij filium à Sergio minore Pontifice Maximo Regem Longobardorum factum esse, eundemque postea Imperatorem fuisse appellatum. Idem anno Christi DCCCXLVII. anno septimo Lotharij decretum hujus Concilij, de quo heri locuti sumus, refert. A. Redeundum est tibi ad ea capita quæ reliqua sunt. B. Caput xxxv. apud Ivonem, non apud Gratianum invenio cum hac inscriptione: *Ex synodo Eugenij Papæ tempore Ludovici & Lotharij Augustorum cap. xxxv.* In libro Cæsaraugustano est: *Ex synodo Eugenij Papæ cap. xxxii.* Imperfectè autem utrobique est. Omittuntur enim Leonis verba maximè necessaria. Capitis xxxvi. pars refertur à Gratiano *a* ex synodo Eugenij Papæ; cui addunt hæc *tempore Ludovici & Lotharij cap. xxxvi.* Ivo *b* & liber Cæsaraugustanus *c*. Omissum est initio: *Nulli liceat, excepta causa fornicationis, adhibitam uxorem relinquere & deinde aliam copulari, alioquin transgressorem priori convenit sociari conjugio.* C. An si fornicationis causa relinquat, poterit aliam ducere? B. Minimè gentium. Sed exceptio illa ad priorem partem est referenda, *ne quis uxorem relinquat,*

Ivo par. 11. c.
77. decr.

Cæs. lib. 8. c.
82.

a 27. q. 2. 22.
Si vir & uxor.

b Ivo libr. 6.
tit. 5. c. 2. p.
norm. & par.
8. c. 227. de-
cr.

c Cæsar. lib.
10. c. 98.

d Matt. 5.

Ivo par. 9. c.
21. decr.c. 2. de cler.
non ref. in 1.
collect. & a-
pud. Gregor.
9.

ut in verbis Domini d. Extremo capite adde-
bantur Leonis verba: *ut districta pœnitentia
coërceantur qui religionis caussa separati ex
utriusque consensu fidem fregerint.* (1) Ca-
put xxxiix. refert Ivo ut Zachariæ Papa
verba. Neque omnino fallitur. Nam in sy-
nodo Romana Zachariæ, de qua alio die lo-
cuti sumus, capite sexto pars eorundem ver-
borum est. Quæ post hoc caput sequuntur,
Leonis quarti tantum sunt capita quattuor,
ex quibus nihil invenio apud Gratianum. Po-
stea dicitur acclamatum fuisse ab omnibus, &
deinde Theodorum Notarium & Scrinia-
rium legisse depositionem Anastasij Presby-
teri Cardinalis Tituli sancti Marcelli hoc ini-
tium: *Imperantibus Dominis piissimis perpetuis
Augustis Lothario à Deo coronato paci-
fico & magno Imperatore anno xxxvii. sed
& Ludovico à Deo coronato ejus filio no-
vo Imperatore anno quinto, mense Decem-
brio, die octava, In dictione secunda, in ci-
vitate nova cujus vocabulum Leoniana est,
intra Ecclesiam ubi corpus beatissimi Petri
Apostolorum principis conditum est, Leo Epis-
copus servus servorum Dei &c.* A. Hæc igi-
tur est illa depositio cujus mentio fit in Gre-
goriana collectione, titulo de Clericis non re-
sidentibus, de qua pluribus verbis agit Ber-
nardus Circa Papiensis in prima collectione,
sed malè tertio Leoni adscribebatur quod ad
quartum pertinebat. B. Bernardi verba sunt:
*Ex gestis Romanorum Pontificum. Leo tertius
natione Romanus consilio Lotharij & Lodovici*

Imper
Epi
congreg
Den
libro d
Roma
mum a
sed ea p
driani
qua Va
beato
confitti
cali vo
etiam d
lio lxx
cto xx
Ludovi
ter Imp
à Steph
Panuini
anno Lo
filius In
de Lud
Stephan
rem app
non eo
Paschal
Concilio
Habéfn
veteri q
Bonifac
epistulis
quorum

Imperatorum sanctam & venerandam LXVII. Episcoporum in Ecclesia beati Petri synodum congregavit. In hac synodo Anastasius & c. C.
 Denumero Episcoporum ex Cæsaraugustano libro dictum est fuisse LXVI. (2) Urbem Romam Leonianam dictam fuisse nunc primum audio. B. Non tota urbs ita dicta est, sed ea pars quæ ultra pontem & molem Hadriani est, quæ Transiberina dicebatur, in qua Vaticanus mons fuit, nunc ædes sacra beato Petro, & magna domus pontificia consistit. Invenies ea de re multa in Pontificali volumine de vitis Pontificum, in quo etiam de hac depositione Anastasij in Concilio LXVII. Episcoporum agitur. A. Quo pacto xxxvii. annus est Lotharij & quintus Ludovici, cum Ludovicus Pius Lotharij pater Imperatoris nomen acceperit & coronam à Stephano quarto anno DCCCXVI. ut Panuinius scribit, qui est xxxvii. à septimo anno Leonis quarti. An eodem anno pater & filius Imperium obtinuerunt? B. Segefredus de Ludovico idem dicit, sed Paschalem ait Stephani successorem Lotharium Imperatorem appellasse anno DCCCXXIII. Quod si non eo anno, sed primo, id gestum est à Paschali, minus laboraremus. A. Malo huic Concilio credere quàm ceteris scriptoribus. Habésne aliud sive ex hoc sive ex alio libro veteri quod ad Gratianum pertineat? B. Ex Bonifacij martyris Archiepiscopi Maguntini epistulis duo capita sunt apud Gratianum, quorum alterum inveni, alterum alibi quæ-

*Cæsarau. lib.
7. cap. 61.*

e Dist. 40.
cap. 6. Si Pa-
pa.

f Ivo par. 5.
c. 23. decr.

g Dist. 56. ca.
10. Si gens.

h Idem Ivo
par. 8. cap.
224. decr.

Capit. lib. 7.
c. 285. in ad-
dit.

rendum est. Quod enim distinctione x l. a
ex dictis Bonifacii martyris inscribitur, & ab
Ivone f ex gestis Bonifacii martyris Legati
Romane Ecclesie, à nobis repertum non est.
(3) At quod est distinctione lvi. g ita in-
scriptum Bonifacius martyr scribens Regi An-
glorum, & apud Ivonem h Bonifacius martyr
Hiltribaldo Regi Anglorum, in bibliotheca
Michaelis Thomasi invenimus in epistula
integra Accheldobaldo Regi missa, cujus
initium fuit: *Constemur coram Deo.* Appel-
lat autem se Bonifacium Archiepiscopum Le-
gatum Germanicum. A. Gratissimum est
quod dicis, tum ob alia multa, tum quòd
inveneram nuper partem ejus epistulæ libro
septimo Capitularium sine ulla inscriptione,
& propter mentionem Hispanicæ cladis ver-
ba ex fontibus ipsis accipere cupiebam. C.
Quibus verbis ea de re Bonifacius egit? To-
tam enim epistulam perlegere a veo. B. Pote-
ris id quidem postea facere, cum commodum
erit. est enim lectu digna. sed longior est, &
magnam diei partem nobis auferret. Brevi-
bus referam quod in ea continetur. Initio
laudat Regem quòd multa pauperibus largia-
tur; laudat etiam quòd furta, rapinas, per-
juria, & alias iniquitates & crimina prohibeat,
quòdque viduarum & pauperum de-
fensor sit, & pacis amator. Acriter autem
eum reprehendit quòd uxorem non accipiat,
cum minùs castè vivat, & sacrarum virgi-
num violator esse credatur. Tum addit ea
quæ Ivo & Gratianus referunt, ostendens

quid periculi ex malo Regis exemplo ad populum perveniat. quod ex Anglorum & Hispanorum & Burgundionum clade propter libidinem earum gentium ostendit. In verbis non magna varietas est. pro illis, *improperium nobis obicitur*, illic est, *improperium est*. & pro *nec bello, nec in bello*. pro *Hispania & Provincia*, omissa voce &, *Hispania provincia*. Sic autem fortasse non Gallia pars, quae Provincia dicitur, accipietur. Pro illis, *vindex talium*, illic est, *judex omnipotens talium*. A. Ego *vindex omnipotens talium* scriberem. B. Denique pro illis, *per ignorantes legem Dei, id est, per Sarracenos*, scriptum est, *per ignorantiam legis Dei & per Sarracenos*. A. Quid apud Ivonem sit videamus. C. Ivo *improperium est* habet, & *nec in bello*. Retinet tamen, & *Provincia*, atque voce *vindex* sive vocibus *judex omnipotens* caret. ad extremum habet, *per ignorantiam legis Dei per Sarracenos*. A. Capitularia conferamus. C. Contuli. Et *Provincia* solum habent. cetera ut in ipsa Bonifacij epistula (4) A. Habesne aliquid ex Callisti minoris Concilio, quod frequens fuisse traditur? B. Nihil omnino legi. Immo multis capitibus quibus Callisti nomen Gratianus adscripsit, selecti viri Romae eam notam addiderunt, qua ostenderent nusquam esse reperta. A. Cras volo ut ex Anselmi Lucensis collectione id Concilium restituamus.

ADDITIONES.

(1) **I**NSCRIPTIO capitis 23. Romanis. 27
 q. 2. hæc est: *Item ex synodo Eugenij Papæ
 cundi in synodo Romana c. 36. Si vir & uxor &c.* In
 margine est: *Sent. ibid.* (hoc est, *Sent. 4. dist. 27.*
Ivo p. 8. c. 127. Pann. l. 6. c. 76. Numeri differē-
 tia oritur, quia à nobis non habetur ratio capitis
 conditio, quod est Romanis 7. nobis inscriptio capitis
 septimi *Quicumque.*

(2) Hæc etiam est in Romano libro inscriptio ca-
 pitis 2. de Clericis non residentibus: *Leo tertius. Et
 gestis. & infra. In synodo Anastasius &c.* In margi-
 ne est: *Cap. 2. eod. tit. in 1. compil.*

(3) Ante caput sextum *Si Papa.* distin. 40. in Ro-
 mana editione hæc inscriptio est: *Item ex dictis Boni-
 facij martyris.* Et in margine est: *Al. gestis, pro-
 ctis.* Et: *Ivo par. 5. c. 23.* In Notis: *Dictis Bonifacij*
*Naucerus gen. 26. testatur hoc fuisse dictum Boni-
 facij martyris. Verum Deus-dedit Presbyter Cardinalis*
tit. Apostolorum in Eudoxia tempore Victoris Papæ III.
libros quatuor de rebus ecclesiasticis composuit, qui in
*bibliotheca Vaticana servantur. Et lib. 1. c. 231. ex ge-
 stis [sic habent etiam multi Gratiani codices & Leo]*
Bonifacij martyris & Archiepiscopi Moguntini [sic]
Apostolica Legati hæc sanctissimi illius viri de Romano
Pontifice ac sede Apostolica verba refert; in quibus et
hoc caput. & quidem ex antecedentibus & sequentibus
valde illustratur. Sancta Romana Ecclesia privilegio
specialis auctoritatis divinitus & humanitus capite
omnium Ecclesiarum post Christum Jesum effecta,
secundum antistitis vel rectoris sui qualitatem & ri-
litudinem afficit totius Christianitatis membra &c.)
 In indice librorum est: *Deus-dedit Cardinalis colla-*
ctio canonum, & libri quatuor de rebus ecclesiasticis
ex Vaticana.

(4) Distin. 56. cap. 10. in eodem libro ita inscri-
 bitur: *Contra Bonifacius martyr scribens Echel-*
baldo Regi Anglorum, Si gens Anglorum, sicut &c.

In margine est: *Ivo p. 8. c. 224.* Verborum varietas nulla est in illis: *sicut aliis gentibus Hispania & Provincia & Burgundionum.* At in illis est: *donec iudex omnipotens talium &c. al. vindex, pro iudex.* Et ad illa verba, *per ignorantes legem Dei, id est, per Saracenos &c.* in margine est: *al. etiam pro id est.* Et in Notis: *Per ignorantes.] In epistola B. Bonifacii martyris (quæ unâ cum multis aliis extat manuscripta in codice sæpe memorato bibliotheca Dominicana) legitur: per ignorantiam legis Dei & per Saracenos &c. cum quæ lectione concordant aliquot vetusta Gratiani exemplaria & ferè etiam Ivo.] In indice librorum est: Bonifacii martyris epistola ex bibliotheca monasterii B. Maria supra Minervam.*

DE CALLISTI SECUNDI Romana synodo.

Dialogus quartus.

A. TRIA volumina ejus collectionis, quam Anselmi Lucensis appellamus, ad manus meas pervenerunt sine nomine collectoris. Primum ex Ludovici Gometij Episcopi Sarnensis, cui ego Romæ suffectus fui sacri Palatii auditor, bibliotheca accepi; idque contuli cum alio exemplo Nicolai Ormaneti Episcopi Patavini. Tertium nuper ex Michaëlis Thomasi Ilerdensis Episcopi libris nactus sum. quod exemplum recens est ex bibliotheca Vaticana nuper, ut suspicor, exscriptum. Duo illa volumina satis antiqua visa sunt. In hoc igitur exemplo, post ea quæ in aliis libris leguntur, sunt quædam in singulis libris addita, ut mihi videtur, à poste-